

12625.

QUOD DEUS FELIX FAUSTUM-
QUE ESSE JUBEAT.

DE

1668, 2

BRACHIO SECULARI

DISSERTATIONEM HANC JURIDICAM
INAUGURALEM

Decreto & autoritate Magnifici Jctorum Ordinis
In inclutâ Pomeranorum Academia Gryphicâ

P R Æ S I D E

Nobilissimo, Amplifs. & Excellentissimo Viro

DN. JOANNE POMERESCHIO,

Jcto & Antecessore famigeratissimo, Consistorii Eccl.

Regii in Pomeraniâ ViceDirectore, & Facultatis Juridicæ

Seniore & p.t. Decano Spectabili,

Fautore, Promotore ac Affine suo omni obser-
vantia cultu devotè colendo,

ProLicentiâ summum in Utroque jure

Gradum & privilegia ac insignia Doctoralia
ritè consequendi

Publicæ Eruditorum censuræ submitte

CHRISTIANUS von Thienen / Rostochiens.

ad diem 21. April. in Auditorio Majori horâ 7. matut.

GRYPHISWALDI

Typis MATTHÆI DOISCHERI Universitatis Typogr. 1668.



SERENISSIMO CELSISSIMOQ.

PRINCIPI AC DOMINO,

DN. GUSTAVO
ADOLPHO,

Duci Mechlenburgico, Principi Ve-
tustæ Gentis Henetæ, Suerini & Ratzeburgi,
Comiti item Suerinensi, Terrarum
Rostochii & Stargardiæ
Dynastæ,

Domino meo clementissimo

Sal. & incolumitatem!

DUas esse in Mundo & istius
Imperiis Potestates, Eccle-
siasticam & Secularem, SE-
RENISSIME ac CELSISSE
PRINCEPS, DOMINE CLEMEN-
TISSE, alteramque alteri au-
) (2 xilia-

xiliarem manum porrigere debe-
re, tralatitium est. Idquē non heri
aut nudius tertius, sed jam ab anti-
quisimis temporibus ipsâ justitiæ
ratione sic exigente receptum est.
Quemadmodum enim homo ita de-
mum rectè valet, si omnibus illius
membris junctim benè sit; sic Impe-
ria optimè se habent & felicia sunt,
quando hæ duæ Reipubl. partes sibi
constant, & suavi inter se harmoniâ
conveniunt. Sunt equidem multa
in homine membra, verum si inter se
dissideant, & alia aliis succurrere ne-
gligant, perniciem indè toti corpo-
ri accersi vel decantatus ille Mene-
nii Agrippæ apud Livium apolo-
gus satis docet. Ex quô utiquē ma-
nifestum etiam est, ad conservan-
dam Remp. nihil esse conducibilius,
quàm ut una Potestas alteri subveni-
at.

at. Quod qua ratione fieri, inprimis verò quomodo Magistratus Secularis Judici Ecclesiastico requirenti brachium suum impartiri debeat, in præsentī inaugurali Disputatione demonstravi.

VESTRÆ VERÒ SERENISS. CELSITUDINI eam cur offeram, non una me impulit ratio; quas inter non postrema est, quod quamvis disertatio hæc infantiâ & ruditate suâ sibi maximè diffidat, argumenti tamen præstantiâ tanti Principis conspectu, cui Deus utrumquè brachium pro justitiæ tutelâ & ad vindicanda scelera concessit, indigna fortassis haberi non debeat. Deindè quod nullum operæ redhostimentum aut optare aut concipere animo majus poteram, quàm ut hæc disertati-

tatione meâ velut internuncio quo-
dam, SERENISSIMÆ V. CELSIT. ali-
quatenus innotescerem, Eique mi-
nisteria & servitia tenuitatis meæ ob-
sequentissimè devoverem.

Accipiat ergò SERENISSIMA CEL-
SITUDO V. serenâ ac gratiosâ fronte
munusculum hoc literarium, quod
ad Ipsius pedes humillimè depono,
quodq; ab animò SERENISS. CELSITU-
DINI V. devotissimò profectum est,
mihiq; ex Clientibus suis minimo pro
incomparabili illo benevolentiae ar-
dore, quò literas earumq; Cultores
prosequitur, clementissimi favoris
sui auram adspirare non dedignetur.
Nam quæ magnis Principibus offe-
runtur donaria, perindè ac quæ in
templis dedicantur, ex offerentis de-
votione ac pietate, non pretiò suò
lau-

laudem vel veniam impetrant. Sic
olim Persarum Monarchæ aquæ hau-
stus à subditò oblatuſ præ raris & au-
rò radiantibus donis placuit. Qua-
propter humillima me erigit fiducia
V. SERENISS. CELSITUDINEM non
adſpernaturam hoc qualecunque de-
votiſſimi obſequentiſſimiquè animi
monumentum in Muſarum ac The-
midos delubrò ſubmiſſâ veneratione
dedicatum. Quod muneri deest,
votum penſabit, quod pro SERENISS.
CELSITUDINE V. uſquè erit inde-
feſum & ardens, ut DEUS ex altò
forti ſuò brachiò Eandem pro im-
menſâ ſuâ benignitate tueatur, to-
tiq; Domui Mechlenburgicæ ad Ne-
ſtoreos annos ſoſpitem ac florentem
conſervet, quò utramquè ſibi à DEO
iſtar fiducia concreditam Potesta-
tem

tem ad Ipsius Altissimi gloriam &
subditorum utilitatem felicissimè ac
diutissimè obtineat.

Serenissimæ Celsitud. V.

Dabam Gryphiswaldi XIV.
Kalendarum Maji Anno
c1o 1oc LXVIII.

Subjectissimus Cliens

Christianus von Thienen.



I. N. J.
DISSERTATIONIS
DE BRACHIO SECULARI.

Th. I.

P Rinceps Philosophorum Aristoteles tres dicit esse omnium Rerump. partes, quibus benè affectis etiam ipsam Remp. benè affectam esse. Atque ex his tribus Reip. partibus unam in Judiciis constituit. Scienter sanè & rectè; quàm nulla societas absq; Judiciis vel brevissimò tempore consistere possit. Nisi enim rectè constituantur judicia, seditiones existunt & Rerumpubl. mutationes. *Judicia autem non sunt omnia Unius generis. Modò laudatus Aristoteles octo eorum genera recenset. d. cap. 16. Jcti nostri modò plura, modò pauciora afferunt. Variè enim dividunt & distinguunt judicia. Conrad Rittershus. Comment. in Nov. part. 9. cap. 3. novem Judiciorum divisiones affert. Robert. Marand. in Spec. part. 4. duabus & viginti judiciorum distinctionibus prolixè explicatis varietatem judiciorum probare conatur. Quæ ad nostrum propositum facit divisio hæc est, quod alia judicia sint Ecclesiastica, alia Civilia. Civile Judicium est, quod coram Judice laicò inter personas seculares agitur. Ecclesiasticum quod coram Judice Ecclesiastico de rebus Spiritualibus & Ecclesiasticis peragitur.*

Th. II. Hujus distinctionis ratio & fundamentum uti cuiusvis facile apparet, in eò potissimum consistit; quod in quavis Rep. duæ sint Potestates: temporalis nimirum & Spiritualis s. Ecclesiastica; quarum illa ad temporalia, hæc ad Spiritualia spectat. Utraq; specialem habet & proprium intentū finem, secundum

A

homi-

8. 49



hominis partes, qui constat Corpore & animâ. Hæc enim ordi-
nata ad æternam salutem consequendam, & proprium & præcipuè
intentum ultimumque finem habet felicitatem vitæ futuræ, quâ
subditos intendit dignos reddere. *can. quoniam dist: 11. can. cum
ad verum & can. duo sunt. dist: 95.* & quicquid huic fini non infer-
vit, ad Potestatem hanc Ecclesiasticam referri nec debet, nec po-
test. Illa verò Secularibus præest negotiis & finem proprium
habet felicitatem societatis humanæ, cujus curam gerit: & quæ-
cunque ad hunc finem per se non diriguntur, ea quoque ad hanc
potestatem referri minimè debent. Id quod pulchrè explicat Im-
perator Justinianus *in princ. Novellæ sextæ*, ubi ait: *Maximâ sunt
in hominibus dona Dei à supernâ collata clementiâ, sacerdotium &
Imperium: Illud divinis ministrans, hoc autem humanis præsidens.*
Verum enim verò licet hæc duæ potestates inter se sint maximè di-
stinctæ & separatæ, nihil tamen obstat, quò minus in unâ eademq;
Personâ conjungi & combinari possint. Magnam enim inter se
affinitatem habent, traduntque sibi operas mutuas, uti est colli-
gere *ex cap. 1. de nov. oper. nunciat. & Nov. ut clerici apud pro-
prios Episcopos etc: 83. in fin:* ut quadret iis istud Horatii:

- - - - - alterius sic

Altera poscit opem, simul & conjurat amicè.
Eam quoque in sententiam *in Nov. 7. C. 2. §. 1.* ab Imp. scriptum
extat: non multum differre ab alterutro sacerdotium & Imperi-
um, & res sacras à communibus & publicis. Et verò notius est,
quam ut ullâ probatione indigeat, antiquitùs Sacerdotium sæpè
cum ipsò Regnò conjunctum fuisse. Ita testatur *Isidorus in cap:
Cleros. dist. 21.* antiquâ consuetudine eundem fuisse & Regem &
Pontificem. Ægyptiorum morem fuisse, Philosophos & Sacer-
dotes suos constituere Reges *ex Platone notat Marsil.* idem apud
Hebræos in usu fuisse, notat *Eusebius lib. 1. histor. Eccles. c. 5.* Et de
totâ Syriâ & Palæstinâ refert *Dion. lib 37.* Quæ utiq; conjunctio Po-
testatis politicæ cum Ecclesiasticâ nihil mali per se involuit, sed de-
servit utilitati Ecclesiæ facitq; temporale regimen melius se referre
ad Spirituale, testante *Henricò Zæzio in Comment. ad Decretal tit de
Constitut: n. 16.* dummodò discrimen illud probè observetur in-
ter Potestatem Ecclesiasticam Internam (in prædicatione verbi Di-
vini,

vini, administratione Sacramentorum, & potestate Clavium consistentem, utpote quæ ad Ministerium spectat) & inter externam propagationem Religionis Jurisdictionem Ecclesiasticam & curam ac defensionem Ecclesiæ respicientem. Quò sensu intelligenda sunt verba Constantini Magni Imp. gloriosissimi ad Episcopos scribentis: Vos Episcopi in Ecclesia, ego extra Ecclesiam sive templum Episcopus à Deo sum constitutus. *ap. Euseb. lib. 4. de vit. Constantini. Cap. 24. vid. Du. Carpz. lib. 1. Jurispr. consist. tit. 1. def. 2.* Sed redeo ad Judicia Ecclesiastica.

Th. III. Enimverò Sacerdotes jam olim non solum apud Judæos vid. Joach. Stephani *in lib. 1. de Jurisdic. Judæor. c. 5. & seq.* Sed etiam apud Paganos judiciis præfuisse, judicandiq; potestatem habuisse historiarum monumenta consulenti observare inproclivi est. Quid apud Gallos antiquos obtinuerit docet *Jul. Cas. Comment. de Bell. Gall. lib. 6. de Germanis* videri potest *Tacitus in libello aureo de Germania*, de aliis alii. Mirum itaq; non est, etiam post introducta Sacra Christiana Sacerdotibus & Episcopis concessam aliquam jurisdictionem, quæ quidem initiò tenuis valde cum tempore paulatim crevit. In Codice Justinianeo extat titulus de Episcopali audientia, ex quâ rubricâ *Cuiacius, Dionys. Gothofred. Pacius, Conrad. Rittershus.* & alii argumentantur, tunc temporis nondum Jurisdictionem, sed tantum audientiam, h. e. judicandi cognoscendiq; potestatem solam & nudam Episcopis competuisse; licet *Anton. Peretz. in Cod. d. tit. hoc vocabulò Jurisdictionem quoq; comprehendi contendat.* Quicquid sit de titulò Cod. de Episcop: audientiâ & Constitutionibus Imperatorum ante Justinianum de jure certè Pontificiò hæc res omni dubiò caret. Hoc enim jure Episcopis Jurisdictionem tribui notius est quàm ut dici debeat: & sunt eam in rem tum alia Capitula, tum præcipuè *cap. 1. & 16. X. de offic. Jud. ordin: can. 11. & 26. caus. XI. quest. 1.* ex quibus utique manifestum est, quomodo ex Lege Jurisdictionis Episcopus suam Jurisdictionem fundarit in totâ Diocesi & quâlibet ejus parte quoad Clericos omnes tam in Civilibus & Criminalibus, quàm spiritualibus causis: nec non etiam quoad laicos in spiritualibus.

A 2

Th. IV.

8.99

Th. IV. Licet autem tanta & talis de jure Canon. Episcoporum sit circa judicia autoritas, in executione tamen, in quâ vis & nervus Jurisdictionis consistit, sæpè ea deficit. Non habent enim Episcopi etiam de hõc jure alia media exequendi latas à sententias, quàm Censuras Ecclesiasticas, quibus si reus ad parendum sententiæ compelli nequeat, invocatione brachii secularis iis opus est. Textus in hanc rem videri possunt *cap. 1. & 14. X. de off. iud. ordin. c. 4. X. de judic. cap. 10. X. eod. tit. can. 20. caus. 23. quest. 5. cap. 2. X. de Cleric: excommunic. c. 27. X. de v. s.* Atque sic cum Jurisdictione Episcoporum in Patriâ nostrâ Germaniâ olim etiam comparatum fuisse ex *Herman - Conringii* Viri Clariss. *tractatu de judiciis Germaniæ* discere est, qui *th. 30.* refert, circa seculum à Christò natò octavum & nonum præter judicia secularia fuisse in Germaniâ judicia sacra; & quidem in vitam & mores Christianorum civium tum temporis usque aded licuisse advertere Sacerdotibus, ut fontes potuerint tum aliis Canonicis poenis, tum etiam excommunicatione plectere. Si quis vero noluerit sententiæ illi excommunicatoriæ parere de illò in capitulis *Ansegisi lib. 5. cap. 42.* ita decretum fuisse: *Quod si aliquis ista omnia contempserit, & Episcopus hoc minimè emendare potuerit, Regis judicio exilio condemnetur.* Pari verò modò pergit *Conring. d. locò*, qui refragabantur poenitentiam à Sacerdotibus indictam sustinere, eorum bona à Comite aut Missò regiò Episcopis tradebantur, donec resipiscerent. *ut habet cap. 330. lib. 7. ex Capitulari Ansegisi*; vel verò in Carcerem à Comite protrudebantur.

Th. V. De Brachio itaq; Seculari ejusq; invocatione pluribus acturus, non habeo opus utilitatem hujus argumenti commendare. Ipsa enim se ostendit, ut de restitutione in integrum ait Ulpianus. Sed utilitatem nescio an non vincat difficultas ejusdem. Pauca enim de hac materiâ apud Scholiasticos DD. invenias, & quicquam Disputatione Academica pertractarit, mihi quidem hætenus visus nemo est. Itaq; quod alios deterrere potuisset, id me maxime incitavit, dum novitate, quæ præcipuè delectare solet, placere cupio. Sed & spero eadem ratione, si in quibusdam fortè lapsus ero, me tanto faciliùs veniam impetraturum. Adeunda enim & evolvenda mihi fuerunt Practicorum Jctorum volumina, in quibus

bus uti veræ semitæ ad templum Themidos, ita etiam multa bivia, imò avia reperiuntur, quæ semper vitare facilè non est. Vitavi tamen, quantum potui, & ut possem, brevitati operam dedi. Quapropter si omnia, quæ afferri poterant, à me observata non esse quis videat, is delibare me solùm hanc materiam, non integro tractatu explicare voluisse meminerit, simulq; studiorum meorum tenuitati benivolus ignoscat. Nunc ad rem ipsam.

Th. VI. Quod nos hîc, & communiter DD. juxta *cap. 14. X. de off. judic. ordin.* vocant brachium seculare, id aliis passim nominibus in jure Canonico insignitum legitur. *In cap. enim 1. X. de off. ordin.* vocatur publicum auxilium. *In cap. 21. X. de homicid.* Regia potestas. Eodem significatu dicitur iudicium Regis *cap. 2. X. de cleric. excommun.* Secularis curia *cap. novimus. 27. X. de v. s.* Seculare forum. *ibid.* Potestas absolutè *can. 20. caus. 23. quest. 5.* Secularis potestas *cap. 10. X. de judic. & d. cap. 27. de v. s.*

Th. VII. Definiri autem brachium seculare potest, quod sit officium iudicis secularis, quod imploratus vel monitus imperit ad iudicis Ecclesiastici sententiam exequendam, aut reum aliàs condignâ legibus pænâ afficiendum. Cujus descriptionis singula membra in ipsa Tractatione, quam per causarum genera instituemus, uberius prosequemur.

Th. VIII. *causam efficientem* hîc constituo non tantùm jus Canonicum, sed & Civile. Jus Canonicum quod attinet, dubium nullum est, quin eo invocatio brachii secularis fundata sit; per ea quæ suprâ *th. 4.* jam notavimus. Sed & jure Civili non aliter se res habere videtur *per l. Episcopale. 8. Cod. d. Episc. aud. & Nov. 123. cap. 21.* ut fortassis labi videatur, Vir celeberrimus Dn. Matthias Stephani, Antecessor quondam famigeratissimus hujus Academiæ, qui invocationem hujus brachii Juri tantùm Canonico adscribit *lib. 3. de jurisdict. part. 1. cap. 14. n. 133.* Etsi enim in jure Civili brachii in hac significationem mentio nusquam fiat, sufficit tamen rem ipsam ibi reperiri. Sed sicut in hoc, ita in illo falsus non est, quod *eod. lib. 3. c. 1. n. 19.* Imperatorem Justinianum facit primum jurisdictionis Ecclesiasticæ autorem. Antehujus enim Imperatoris tempora nullam Episcopos habuisse iudicandi aut cognoscendi potestatem, nisi fortè quam partium consensus

sus compromissi instar illis præbuit, *vel ex ipsal. 7. & seq. c. de Episc. aud.* animadvertere est. *Confer, quæ habet Joan. Bodinus lib. 3. de Republ. cap. 3.*

Th. IX. *subjectum* sive personæ, quæ implorare brachium seculare possunt, sunt Judices Ecclesiastici, qui judicarunt. Nam partem ipsam pro qua judicatum est, id facere non posse, rectè tenet *Petr. Frid. Mindanus de Mandat. jud. lib. 2. cap. 65. n. 14.* Et quidem quod ad judices ordinarios attinet, de iis hæc res omnino dubio caret. *per cap. 1. X. de offic. judic. ordin.* Sed an etiam judici Ecclesiastico delegato potestas invocandi brachii secularis competat, controversari solet. Sunt enim, qui id negant, nisi expressè in delegatione hoc ipsi concedatur. *Martinus de Fano in suo tract. de brach. sive auxil. implor. n. 3. Petr. Frid. Mindanus de Process. & mandat. lib. 2. c. 65. n. 14. Hortens. Cavalcan. de brachio regio. Part. 4. n. 257. Ummius de Process. Diss. ult. th. 1. n. 6.* Contraria tamen sententia receptior est, uti docet *Roland. consil. 37. n. 1. vol. 1.* modò fidem faciat de delegatione & sic de competentia sua. *Gail. 1. obs. 115. n. ult.* Sententia enim à iudice incompetente lata, utpote causa fundamentali deficiente corrui. Imò puniuntur iudices exequentes sententias incompetentium. *Roland. d. consil. 37. n. 2. vol. 1.* ubi addit, quod cautus esse debeat iudex secularis, à quo per iudicem delegatum invocatur brachium seculare, ut ille videat an implorans sit iudex competens vel non, quia si est incompetens, non debet ei præbere ministerium alicujus obœdientiæ vel executionis. Rectè quoque addit idem *Rolandus d. cons. n. 6.* iudicem delegatum non posse invocare brachium seculare, nisi prius per eum iudex Ordinarius Ecclesiasticus sit requisitus, & ejus auxilium insufficientis fuerit. Illud etiam hîc notari meretur, quod *Ummius d. Diss. ult. de Process. th. 1. n. 6. tradit,* quando de restitutione rei Ecclesiasticæ agitur, tunc prius superiorem Ecclesiasticum requirendum, & demum insubsidium ad secularem deveniendum esse.

Th. X. Qui possint invocare brachium seculare diximus. Nunc quis iudex secularis implorari debeat, videamus. Et vero *Gail. d. obs. 115. n. 9.* putat, omisso medio iudice immediate superiorem invocari posse, idq; multis præjudiciis Cameralibus confirmare

firmare intendit. Cui consentit *Nicol. vigel in method. practic. observ. Cam. Imp. lib. 2. c. 20. regul. 12. p. 374.* Contrariam verò sententiam tenet *author præjud. Cam. sub rubric. brachium seculare. vers. quando Judex &c. his verbis. Quando Judex secularis requisitus à Judice Ecclesiastico pro executione sententiæ ejusdem Judicis Ecclesiastici non vult impertiri brachium seculare rectè tali casu ad Cameram pervenitur &c.* Ergo non rectè altero casu, ubi adhuc Judex intermedius est, & brachium suum impertiri non denegavit. Et hanc firmat *Ful. Magenhors, in part. 3. ad ord. Cam. tit. 48.* Cui opinioni accedimus, ita tamen, si contra persona non Ecclesiasticam vel Clericalem, sed laicam brachium invocetur. Priori enim casu superior tantum Jura Episcopalia exercens adeundus est. Affinitatis ergò Q. an Judex secularis Augustanæ Confessioni addictus exequi teneatur sententiam, Judicis Ecclesiastici Pontificiæ Religioni addicti? quam affirmativè decidit *Author præjud. Cam. d. rubricâ: brachium seculare.* Et ut mihi videtur non infirmiter, insuper dubium, quod oriri poterat *ex Constit. Relig. removet, & quidem per §. 20. damit auch obberührte. &c. R. Imp. de anno 1555.*

Th. XI. *objectum* sive materia, circa quam versatur invocatio brachii secularis sunt causæ omnes in foro Ecclesiastico tractari solitæ; tam Civiles quàm Criminales. De Civilibus testantur *Ummius de Process. d. Diss. ult. th. 1. n. 6. Gail. d. obs. 115. n. 1.* & plures ab eo allegati. Sic aliquando in causa matrimoniali lata sententia à judice & officiali Monasteriensi per implorationem brachii secularis ad Cameram devenit & Mandata executorialia sine clausula decreta esse tradit, *Gylman. symphorem. tom 3. verb. brachium seculare.* Causas Criminales quod attinet ipse textus in *cap. 1. X. de offic. ordin.* ubi ferè sedes hujus materiæ habetur, de iis dubitare nos non sinit. *Alciatus* porrò *ad d. cap. 1. X. de off. ord.* id tam de criminibus mixtis, quàm mere Ecclesiasticis verum esse docet. *n. 110. 119.* Crimina autem mixti fori, ut id obiter addam, vulgò habentur sequentia 1. crimen blasphemæ *Farinac. tit. de inquisit. lib. 1. tit. 2. quest. 8. n. 127.* Hieron. *de Cervall. specul. commun. contra commun. tom. 4. quest. 897. n. 573.* 2. Crimen Sodomix. *clarus lib. 5. recept. sentent. §. fin. quest. 37. n. 5. Farinat.*

rinac. d. loco. n. 129. 1. Crimen adulterii, Alciat. in d. cap. 1. n. 18. X. de off. ordin. Abb. in cap. intelleximus n. 1. de adul. clarus d. loco. n. 3. ubi tamen addit, quando agitur ad separationem thori propter adulterium, tunc de eò solum judicem Ecclesiasticum cognoscere. 4. Mixto foro cognitionem de quæstionibus Usurariis tribuunt, Cachéran. decis. 137. n. 10. Molin. de usur. quæst. 10. n. 55. adde Reinning de regim. secul. & Eccles. lib. 3. class. 1. cap. 10. n. 49. 5. Comuni foro adscribunt crimen Sacrilegii. Covarruv. var. resol. lib. 3. c. 3. n. 1. Farinac. d. loco n. 132. Clarus d. l. n. 9. 6. Crimen Periurii. Hier. de Cævall. d. quæst. 897. n. 574.

Th. XII. Sed quærunt hîc DD. annon Judex Ecclesiasticus in causis criminalibus mixti fori, in quibus potest procedere contra laicos, possit propria autoritate eos capere & incarcerare sine aliqua brachii secularis invocatione? & ferè tantus est numerus eorum, qui affirmant, quàm qui negant. Hieron. de Cævall. in spec. comman. contra com. quæst. 897. postquam pro affirmativa latè & eleganter disputasset, tandem n. 38. & seqq. concludit, affirmativam hanc non tantùm valdè reddi dubiam, sed etiam contrariam opinionem, videlicet ad capturam secularium in omnibus criminibus de quibus Judex Ecclesiasticus potest cognoscere, invocationem brachii secularis esse necessariam in puncto juris esse sustentabiliorem & veriores. Conf. Jul. clarum lib. 5. §. fin. quæst. 37. n. 8. ubi hanc limitationem addit, si Prælati legitime præscripsisset hanc facultatem exequendi contra laicos in criminibus mixti fori utiq; illum posse capere & incarcerare reos non invocato auxilio brachii secularis.

Th. 13. Cæterùm quæstionis etiam est circa crimina mixti fori, an si reus pro hujusmodi criminibus, in quibus tam à Judice Ecclesiastico, quam seculari puniri potest, fuerit in foro Ecclesiastico accusatus, & causa cognita à Judice Ecclesiastico absolutus, possit iterum non attendita hac absolute coram judice laico de eodem crimine accusari & puniri? Multi sunt, qui negativam defendunt, ex eo nimium, quod reus exceptione rei judicatae hic sese defendere & tueri possit. Verum si rationes probè ponderaverimus, affirmativam opinionem propiùs veritati accedere animadvertemus: nam Jurisdictio Ecclesiastica & secularis sunt prorsus separatae & distinctae;

et a; ideò absolutio lata in una jurisdictione non parit in alià exceptionem rei judicatae, uti elegantè tradit *Clarus lib. 5. §. fin. Practic. crimin. quest. 57. n. 11.* Quid autem, si quis fuerit in crimine mixti fori à Judice Ecclesiastico punitus, nunquid poterit iterum de eodem crimine puniri à Judice seculari? rectius sentiunt, qui & hìc affirmativam tenent. *per cap. felicis §. per hoc. de pen. in 6.* Observata tamen distinctione, ut tùm demum hoc procedat, quando sententia lata à Judice Ecclesiastico non est condigna & mensurata delicto. *Hier. de Carv. spec. com. contr. com. d. quest. 897. n. 576.*

Th. XIV. *Forma* in eo consistit, ut invocatio hæc brachii secularis (1) fiat judicialitèr & (2) tantùm in subsidium. Prius, quod nempe non extrajudicialitèr sed judicialitèr brachiumulare implorandum sit, in terminis tenet *Alciatus sepe allagato loco ad c. 1. X. de off. ordin. n. 117.* ubi porrò tradit, quod judex secularis non teneatur exequi ad implorationem extrajudicialem, quoniam in extrajudicialibus præceptis Judex Ecclesiasticus non est major seculari, sed par; undè non potest ei demandare. Quæ tamen ratio mihi non placet, nec reperitur in *allegat. scap. cum non verum dist. 96.* rectius se habet altera, quam affert, quod nimirum judici procedenti extrajudicialitèr impunè possit non pareri. *l. prohibitum. c. de jure fisci. lib. 10.* Restrictionis tamen loco hìc esse potest, quod in *can. 2. 3. pen. caus. XXIII. q. 3.* traditur, brachiumulare etiam invocari in defensionem Ecclesiarum & pauperum contra divites & potentiores, si opprimantur. *Hier. Zoes. ad tit. 31. lib. 1. Decretal. n. 7.*

Th. XV. Posterius, quod nimirum brachiumulare in subsidium demùm, postquam Judex Ecclesiasticus sua jurisdictione usus est, reus verò ad quæcunque tentata remedia ejus sententiæ parere noluit, ita ut non habeat ultra quid faciat, implorari possit & debeat, communiter tenent DD. *vid. Marant. in spec. aur. Disp. 1. n. 21. Autor decis. camer. decis. 58. n. 3. Roland. 4. Consil. 37. n. 3. Cardin. Tusch. pract. conclus. lit. C. conclus. 125. num. 11. Anton. Natta vol. 3. consil. 529. in pr. Magenhorst, in comment. ad ord. Cam. part. 3. tit. 48. Petr. Frid. Mindan. lib. 2. de mandat. c. 65. n. 5. & probatur horum opinio optimè per cap. si quis presbyter. 2. ibi.*

B

ibi.

P. 54



ibi: quod si aliquis ista omnia contempserit, & Episcopus minimè emendare potuerit, Regis iudicio ad requisitionem Ecclesiæ exilio damnetur. X. de maledic. cap. 14. in verbis: & si nec sic resipuerit. X. de off. ordin. junge cap. 1. X. eod. cap. cum non ab homine. X. de iudiciis.

Proindè prius omnia tentanda sunt à Iudice Ecclesiastico, & demùm in subsidium brachium seculare invocandum; quum iudex laicus non aliter teneatur impartiri brachium Ecclesiastico, quàm si servato ordine processit. *Roland. vol. 1. Consil. 37. n. 5. Socinus. consil. 83. per tot.* Ita doctrinam de invocatione brachii secularis limitant & declarant, omnes in universum DD. *oldrad. consil. 89. n. 5. dicit*, omnia jura loquentia de hujusmodi brachio loqui limitativè sive conditionalitè: si necessè fuerit, si opus fuerit; Et sic hanc implorationem poni pro ultimo refugio. Facit huc *Gail. 1. obs. 115. n. 2. & 3.* ubi dicit, procedere istam doctrinam de invocatione brachii secularis tunc demùm, quando Iudex Ecclesiasticus pro executione suæ sententiæ omnia fecit, quæ facere potuit: puta si victus Ecclesiasticas censuras flocci pendat, easque obstinatè contemnat. Imploratio enim brachii secularis omnium ultimum adeoque extremum remedium esse debet. Ex his utiq; manifestum est, non rectè invocari brachium seculare, nisi reus sit prius excommunicatus, gravatus & regravatus, & ille effectus fuerit incorrigibilis. *Gail. d. obs. 115. n. 2. Roland. vol. 1. Consil. 37. ubi n. 5.* notat, quod apparere debeat de incorrigibilitate, antequam tale brachium impetretur; nam si adhuc apparet spes emendationis, volunt quidem Canones Clericum deponendum, excommunicandum, anathematizandum, non verò tradendum brachio seculari. *textus expressus in cap. 10. X. de iudic.* Advertendum autem, ut quis incorrigibilis dicatur, requiri sententiam iudicis, quæ declaret eum prorsus incorrigibilem, seque non habere aliud quod facere possit ad ejus correctionem & emendationem, quàm ut tradat brachio seculari. *suarez de censur. Disput. 22. sect. 1. n. 8. & seqq. Clarus lib. 5. sent. recept. § fin. quest. 36. n. 34.* ubi ex Felinò concludit, quod potestas quæ datur iudici seculari super Clerico incorrigibili non exerceatur, nisi declarteur qualitas incorrigibilitatis, secus atque fit in curia seculari, ubi parùm curamus, an quis

quis sit incorrigibilis vel non. *Idem clarus d. lib. 5. §. fin. q. 36. n. 32.*

Th. XVI. Verum enim verò quod dictum fuit, expectandam esse incorrigibilitatem, antequam reus tradatur curiæ seculari, illud limitant DD. non obtinere in crimine enormi & noxio Reip. cujusmodi est hæresis, crimen falsi in literis Apostolicis commissi, gravis contumelia & conspiratio in proprium Episcopum, qualificatum homicidium, ut Patris, Matris, Sobolis, sui superioris, Conjugis, crimen Sodomix, incantatio, proditio &c. Si itaq; crimen fortè sit gravius, quàm ut condignè per censuras Ecclesiasticas puniri possit, utpote si reus morte naturali afficiendus sit, quam pænam Ecclesiæ humilitas exercere non prævalet, *ut sonant verba in can. Principes. caus. XXIII. q. 5. cum gladio non utatur Ecclesia, can. inter. caus. XXXIII. q. 2. tunc Reus, licet paratus sit se corrigere, tamen rectè puniendus traditur brachio seculari. Henric. 2. es. ad lib. 5. Decretal. tit. 37. n. 13. in qua sententia non parum confirmamur per cap. novimus. 27. X. d. v. s. ubi Clericus ob enorme & damnabile flagitium degradatus traditur curiæ seculari nulla facta mentione incorrigibilitatis. Verum ab hac sententia divortium facit Julius Clarus lib. 5. recept. sent. §. fin. quest. 36. n. 36. putans pro tribus saltem criminibus, sc. hæresis, falsi commissi in literis Apostolicis, & conspirationis in proprium Episcopum, in aliis autem quantumcunque enormibus & gravissimis delictis, etiamsi Clericus occidisset summum Pontificem, eum tamen non debere degradari, si paratus sit se corrigere, sed in Monasterium vel perpetuum carcerem detrudendum statuit. Cujus tamen sententiam meam non facio, & fatetur ipse Clarus d. loco quicquid sit de jure, contrarium observari in practica. Neque nobis obstat cap. cum non ab homine. 10. X. de judic. nam ille textus loquitur quidem de homicidio & aliis criminibus propter quæ Clericum non aliàs brachio seculari tradi permittit, quàm si fuerit incorrigibilis; sed non de enormibus & exceptis, quale est incantatio, Sodomia, homicidium qualificatum, & alia crimina suprà relata, ut tradit Abbas in d. cap. novimus. 27. X. de v. s. Hæc enim noxia nimis Reip. & enormitatis plena, ut meritò non sit expectanda incorrigibilitas, 2. es. alleg. loco.*

B 2

Th. XVII.

P. 49



Th. XVII. Cæterùm, quoniam Clericus non traditur puniendus brachio seculari, nisi prius à Judice Ecclesiastico pænâ degradationis fuerit affectus, operæ pretium erit, pauca de degradatione hîc interspergere. Est itaque Degradatio duplex, Verbalis & Realis. Hæc definitur, quod sit perpetua clericalis dignitatis, Privilegii & Ordinis privatio, adhibitis certis quibusdam solennibus per canones institutis. Effectus autem hujus degradationis est, quod reus non solùm dignitatibus & honoribus, verum etiam privilegio Ordinis & Clericatus exutus secundum formam *in c. degradatio, de pen. in 6.* relinquatur brachio seculari puniendus secundum leges laicorum, quorum forum sortitur post degradationem. *Zœf. lib. 5. Decretal. tit. 37. n. 12.* Ad formam & solennia quod attinet, reus vestibus sacris indutus portans instrumenta sive ornamenta sacra, ut vasa, librum, aliaque ad ordinem illum, à quo degradandus, spectantia, ac si solennitèr in eo ministrare deberet, præsentatur publicè Episcopo, ab eoque iis omnibus exuitur, inchoando ab eo, quod ultimo datum aut traditum, usque ad primam vestem, quæ data in primæ tonsuræ collatione. Accidisse tamen aliquando in Germania, ut propter hanc ipsam degradationis pænâ Clericis inferendam, antequàm tradantur brachio seculari, impunitas peccandi penè eis data fuerit, refert *Clariss. Vir Herm. Conring. in alleg. supra disput. de Judiciis Germaniæ th. 76.* eam in rem allegans querelam Principum Germaniæ in *gravaminibus n. 31. his verbis: Quicumq; Ecclesiasticos recipit ordines, majores sive minores, per hoc omnium pænarum Magistratuum secularium, utcunque magna perpetret maleficia, immunis esse contendit.* Causæ hujus pessimi moris adducuntur istæ: *ut in peccatis maleficiisque perpetrandis magis adhuc forseantur, præter omnem equitatis rationem aliquatenus interdictum est Archiepiscopis & Episcopis, ne malefactores hos publicè criminali judicio reos agere possint, nisi prius degradatos: id quod tantis sumptibus tantaq; pompâ celebrari oportet, ut propterea per quàm rarisimè uncti illi malefactores meritâ plectantur pænâ.* Antequàm hinc abeamus illud etiam ex *Julio Claro lib. 5. sent. §. fin. q. 74. n. 5.* notari meretur, quod hæc pænâ degradationis non modò locum habeat in Clericis, sed quandoque etiam in laicis aliqua dignitate insignitis; puta

puta si sit Doctor, qui propter aliquod delictum privatur cingulo Doctorali. Idem etiam servari in quibusdam locis & in Personis Nobilium, testatur *Reinking. de R. S. & E. lib. 3. Class. 2. cap. 2. n. 11.*

Th. XVIII. Verbalis degradatio est perpetua muneris & clericalis dignitatis privatio per canonicam sententiam cum debita solennitate prolatam, salvo manente privilegio & ordine. *Reink. d. R. S. & E. d. lib. 3. Class. 2. cap. 2. n. 12. 13. 14.* & hæc propriè depositio vocatur. Effectus autem hujus differentie maximus est. Nam quando degradatio est tantummodo verbalis, iudex laicus nullam habet jurisdictionem in Clericum ita degradatum, nisi tradatur etiam curiæ seculari, quod tamen pro quibusvis criminibus haud fieri debet, *juxta cap. 4. in fin. X. de judic.* Verum in actuali degradatione nulla traditione opus est, sed Clericus omnibus Privilegiis Clericorum per hanc degradationem exutus instar laici habetur, & ipso jure potest puniri per iudicem secularem. *Ful. clar. d. lib. 5. § fin. quest. 36. n. 35.* Et hanc esse communem opinionem tradit Alciatus *in d. cap. cum non ab homine, n. 110.* Notandum tamen, quando jus imponit pœnam degradationis, intelligendum esse de verbali, non etiam de actuali; quia in pœnis mitior facienda interpretatio & pars mitior amplectenda, *l. factum 155. §. ult. ff. d. R. I. & cap. in pœnis. 49. eod. in 6. sed hæc vis est παρόδω.*

Th. XIX. Nunc de Fine videndum. Finis autem invocationis brachii secularis, præter universalem illum, qui in administratione justitiæ consistit, duplex est: Vel enim agitur, ut per invocationem brachii secularis sententia à iudice Ecclesiastico lata, effectui tradatur, vel ut reus, qui in foro Ecclesiastico ob defectum gladii materialis (quò caret Ecclesia, *c. inter XXXIII. q. 2.*) pro merito & sufficienter puniri non potuit, in foro seculari condignâ factis suis pœnam ferat. Et sanè uterque hic finis necessarius valdè & proficuus Reip. est. Cum enim vis omnis jurisdictionis in executione consistat, & Rei ferè censuras Ecclesiasticas contemnere soleant, actum esset de Jurisdictione Ecclesiæ, nisi liceret uti auxilio iudicis secularis ad effectum sententiæ conciliandum. Rursus cum Ecclesia non habeat exercitium gladii materialis, neque iudici

8. 49

Ecclesiastico licitum sit intromittere se de causa criminali, sententiam sanguinis ferendo, multò minùs exequendo *c. sententiam sanguinis. 9. X. ne cleric. vel Monachi. c. 5. X. eod.* delicta maxime enormia remaneret impunita, nisi hìc itidem succederet potestas secularis. Sed dubitare fortè quis posset, an finis hic posterior satis conveniat humilitati & benignitati Ecclesiæ, præsertim in casibus, quibus secundum leges pæna sanguinis locum habet. Abhorre enim Ecclesia à profusione sanguinis, & membra vitamq; sibi obtinere solet. *cap. inter alia 6. X. de immun. Eccles.* Certè dubium hoc etiam habuit Episcopus ille, qui Pontificem Innocentium Tertium in *c. postulasti. 21. X. de homicid.* consuluit. Respondet tamen ibi Pontifex, licere Ecclesiæ simpliciter deponere querimoniam apud secularem potestatem, & si hæc, cui ad bonorum laudem, vindictam verò malorum gladius est commissus, eò utatur adversus rebelles, id non Ecclesiæ, sed eorum dicitur aut malitiæ imputari debere. Hoc responsum ad subjectam nostram materiam applicando, similiter dici potest, licere quidem Judici Ecclesiastico Reum à se pro enormi crimine degradatum, committere sive relinquere potestati seculari, modò tamen hoc faciat simpliciter, & ita, ut in specie non petat eum capitis aut alia sanguinis pæna affici. Imò secundum *cap. novimus. 27. X. de v. s.* quod est ejusdem Innocentii tertii, debet Ecclesiasticus apud curiam secularem intercedere, ut citra mortis periculum circa reum sententia moderetur. Neque etiam semper adversus degradatos ab Ecclesia pæna mortis locus est, sed interdum leviori, ut amputationi membri, aut alii pro qualitate criminis. *2. es. in lib. 5. Decretal. tit. 27. n. 13. in fin.* Si tamen delictum commissum capitale supplicium postulet, non obstante intercessione Ecclesiæ iudices seculares ad illud procedere solere, atque ita ubique servari *testatur clarus lib. 5. §. fin. quest. 36. n. 42. allegans ad hoc Chassaneum.*

Th. XX. Viso fine, de effectu porrò agendum erit. Ille hic est, ut teneatur iudex secularis brachium suum impartiri petenti Judici Ecclesiastico, nisi malit excommunicationem incurrere. In quam sententiam Doctores in universum omnes pedibus quasi unanimiter iverunt. *Alciat. add c. 1. X. de off. ordin: ubi provocat ad cap. 2. X. de maledic. in verb. provocatione (si necesse fuerit)*

fuerit) *Episcopi adhibita. Marant. in spec. Disp: 1. num. 8. &*
26. Carpz. jurispr. Consistor. lib. 3. def. n. 13. n. 17. Gail. obs.
115 n. 1. Gylman. lib. 2. decis. Camer. 58. n. 3. Matth. steph de
Jurisd. lib. 3. p. 1. c. 14. n. 136. Una enim jurisdictio per aliam
adjuvanda est. l. 2. C. de his qui latron. Gail. alleg. loc. n. 2. Idq;
maximè circa executionem, ne sc. decretum vel sententia justè
prolata reddatur elusoria ob defectum jurisdictionis in exequendo,
atque ita executio differatur & frustretur contra. l. si prator. ff. de
judic. Coler. de process. execut. p. 2. cap. 3. n. 18. Myns. resp. 6. n.
3. & seqq. Schurff. cent. 1. resp. 33. per. tot. Carpz. in jurispr. Con-
sist. lib. 3. def. 13. n. 9. quin itaque judex secularis de brachiò suo
requisitus ab Ecclesiastico, si illud impartiri detrectet, non existen-
te justà causà recusationis, excommunicationis pænâ cogi possit,
extra dubium est per tradita Doctorum supra allegat: Imò extra
ordinem judicis superioris arbitrio talis judex puniri poterit.
vid. Menochi. de arb. jud. quest. lib. 2. quest. 452. n. 3. Neque
hoc mirum alicui videri debet, cum & aliàs quivis judex peregrī-
nus ab aliò judicatum implere, & ad implorationem propterea
factam alteri manus auxiliares præbere debeat, qui si neglectò offi-
cio id facere contempserit, à superiori Magistratu cogi ad id pote-
rit, & præterea parti ad interesse tenetur. Bartolus in l. à Divò
Piò. §. 1. ff. de re judic. Anton. Butrius in cap. postulasti. de foro
compet. Ioann. Ferrar. process. forens. lib. 5. c. 5. Ernest. Cothm.
Resp. Academ. 31. n. 37. Roland. 4. Conf. 37. n. 18. Ubi notat ex
Paris de Put. in tract. sindic. in verbo brachium; quod non solum
unus judex, cujus vires non sufficiunt ad exequendum possit im-
plorare brachium alterius judicis posterioris, sed quod plus est, of-
ficialis alicujus villæ non habens familiam sufficientem, possit con-
vocare incolas & habitantes in illâ pro capiendo malefactorem,
qui se recusent eum adjuvare, tenebuntur ex conditione l. 2. C. de
his qui latr. occult. Illud autem hoc loco sciendum est, quod ho-
die, quando judex secularis requisitus à giudice Ecclesiastico pro exe-
cutione sententiæ, non vult impartiri brachium seculare, rectè ta-
li casu ad Cameram perveniatur, & ad talem judicis Ecclesiastici re-
quisitionem Processus decernantur, teste Gylman. symphor. tom. 3.
sub rubrica. brachium seculare.

Th. XXI.

Th. XXI. Quod autem dictum judicem secularem minime debere operam suam subtrahere imploranti Judici Ecclesiastico, illud non est perpetuum, sed tùm demum procedit, quando sententia à Judice Ecclesiastico ritè est lata. Sententias enim Ecclesiasticorum injustas judex secularis exequi non tenetur, si scilicet de injustitiâ & iniquitate causæ evidentè appareat, aut si nullitas sententiæ sit notoria; quùm recepti juris sit, quando factum alicujus judicis est evidentè injustum, subditum ei non teneri obedire; item judicem inferiorem posse cognoscere de facto superioris & illud impedire, ne sortiatur effectum, quando est notoriè injustum, uti probat *Robert. Marant. in specul. Disp. 1. n. 24.* Multò igitur minus dici poterit, Magistratum secularem, qui licet dignitate tamen judicandi potestate non est inferior, maximè in Processu, sed par Judici Ecclesiastico, *vid. Matth. steph. de jurisd. lib. 3. p. 1. c. 14. n. 136.* Sententiam ab Ecclesiastico injustè prolatam teneri exequi, adeoque iniquitati ipsius patrocinari. In hanc sententiam textus est singularis *in c. inter cæteras. 9. X. de re judic. ibi: nec ei debet stari, si iniquitatem contineat manifestam, ut notat glossa verbo: manifestam.* Quomodo etiam vulgò explicantur verba finalia *d. c. 1. X. de off. ordin. non ad præjudicandum, sed potius ad ea, quæ Deo sunt placita prosequendum.* Et licet hunc sensum non satis admittat *Alciatus ad d. c. 1. n. 127.* eum tamen subaudiri & indubitabilem esse contendit. Nec obstat *cap. pastoralis 28. §. quia vero. X. de off. deleg.* ubi ordinarius jussus delegati sententiam exequi, eam rectè exequitur, etiamsi sciat injustam. Nam uti *Hinric. Zes. in comm. ad Decret. lib. 1. tit. 32. n. 7.* testatur, illud cap. intelligendum est de injustitia sententiæ quæ est in re; cum judex non teneatur judicare secundum privatam scientiam, sed secundum acta & probata. Si itaque sententia nulla aut injusta foret ex parte allegatorum, non est ordinario necessitas exequendi, & non circa peccatum exequeretur, *Zes. d. loco.*

Th. XXII. Hinc oritur quæstio difficilis & intricata, an nempe judex secularis simpliciter petitionem Ecclesiastici sequi, & executionem facere; an verò causam aliquatenus ante cognoscere debeat? & dixeris fortè judicem laicum requisitum ab Ecclesiastico de brachio seculari teneri statim parere & exequi, ex hac ratione,

8. 7. 4

tione, quod non solum pro sententiæ justitiâ semper præsumatur, & si quid hîc fiat, quod à justitiæ finibus deviet, id non executori, sed sententiæ autori imputandum sit. *Petr. Denais. de jure meri imp. pag. 28.* Sed etiam, quod aliàs elusoria foret prior sententiâ, cum tamen Ecclesiasticus implorans brachium seculare intelligatur implorare citra præjudicium suæ jurisdictionis *per. c. 1. X de off. ord.* Idque tum maximè si à sententiâ judicis Ecclesiastici non fuerit legitimo modo appellatum, sed condemnatus reus silentio lapsi decendii eandem approbaverit. *Ernest. Cothm. Acad. Resp. 7. n. 17.* Verùm utcunque se istæ rationes habeant, conveniunt tamen DD. in eò, cognitionem saltem summariam à judice seculari instituendam esse, antequam brachium suum concedat Ecclesiastico imploranti, nempe ut scire possit judex secularis, utrum causa pertineat ad jurisdictionem judicis Ecclesiastici, & utrum justa sit, nec ne. Ex quo si constiterit judici laico de iniquitate & injustitiâ sententiæ, non tenebitur talem sententiam exequi, licet ab eâ non fuerit appellatum; quia non est merus nec nudus executor & minister, sed mixtus *Jacobus Berreta cons. 3. n. 15.* Imò sicuti iniqua judicando judex litem facit suam *pr. Instit. de obl. que ex qs. delict.* ita etiam iniqua exequendo; & tantò quidem fortius, quanto præjudicium, quod infert, est gravius; cum per executionem realitèr inferatur, & per iniquam sententiam solum verbalitèr, uti pulchrè *ex Angelo notat Natta Consil. 529. n. 11.*

Th. XXIII. Sed porrò quæstionis est, an satis sit, ut judex secularis cognitionem instituens se informet per inspectionem actorum, an verò partem adversam citare debeat ad allegandum, quare exequi non debeat? Posterius probabilitèr defendi posse putamus, quia expediti-juris est, quando pars lædi potest, & præsens potest contradicendo actum impedire, tunc ipsam partem citari debere *l. de unoquoq; ff. de re judic. l. nam ita divus ff. de adopt. c. 1. de caus. poss. & propr. vid. Natt. Consil. 529. per tot.* Et verò hodiernum in Camera Spirensi idem observari, & ad implorationem judicis Ecclesiastici decerni mandata cum non sine Clausulâ, ideoq; legitimas exceptiones contra invocationem brachii & obtenta-

C Man-

Mandata executorialia in termino productionis admitti, præsertim litis pendentis & nullitatis testatur *aut. decis. camer. lib. 2, decis. 58. n. 6.* quamvis ab eâ sententiâ paulum diversus sit *Gailius d. obs. 115. n. 4.* qui Mandata sine Clausula in Camera decerni, propter annexam tamen citationem ad docendum de partitione legitimas exceptiones contra invocationem brachii admitti putat. Non tamen concesserim, alias exceptiones altioris indaginis hinc admittendas esse. Cum certi juris sit, post sententiam ejusmodi exceptiones non admitti, sed citius victori præstanda esse, quæ per sententiam obtinuit.

Th. XXIV. Ea tamen, quæ hætenus de cognitione à JUDGE seculari instituenda dicta sunt, restringunt DD. ut non obtineant in criminibus merè Ecclesiasticis, quo casu volunt teneri Judicem secularem de brachio suo requisitum ab Ecclesiastico exequi simpliciter, nullâ causæ cognitione adhibitâ. *Hortens. Carvalcan. de brachio regio. part. 4. n. 260.* Eandem distinctionem inter Crimina merè Ecclesiastica & mixti fori tenet *Alciatus add. c. 1. n. 110. & 119.* Ita ut in illis non habeat judex secularis se intromittere in cognitionem causæ; in his verò prius petere possit, ut sibi fides fiat de processu. Et ratio est secundum Alciatum, quia secularis in posteriori casu judicat ut in subditum, in priori verò est merus executor. Illud etiam hinc observandum, quando Judex Ecclesiasticus ipse vult exequi sententiam suam puniendo secundum Canones, & simpliciter implorat à seculari, ut concedat sibi familiam, tunc nullo modo de causa cognoscere secularem judicem posse.

Th. XXV. Illud utique extra omnem dubitationis aleam est, quod in casu, quando Judex Ecclesiasticus ob defectum meri Imperii ad sententiam finalem procedere nequit, sed post excommunicationem & degradationem Reum Curia seculari relinquere cogitur, Judex Secularis non solum summarie, sed omnino plenè causam cognoscere possit, imò absque novo processu Reum condemnare minimè debeat. *vid. Alciat. in c. cum non ab homine X. de judic. n. 122.*

Th. XXVI.

Th. XXVI. Superest, ut de **Contrariis** paucis agamus, ad
quæ referri potest (1) si in causa, sive à sententia super qua brachi-
um invocatur, sit appellatum. Quum enim appellatio faciat su-
spendi Jurisdictionem Judicis à quò, ita ut pendente illa in ea causa
nihil debeat innovare. *tit. ff. nihil innov. app. interpos.* sed instar
privati habeatur, *Marant. in spec. Disp. 1. n. 33. Zes. ad Decre-*
tal. tit. de appellat. n. 26. Consequens huic erit, per appellatio-
nem reddi inefficacem implorationem Judicis Ecclesiastici pro
executione suæ sententiæ, uti probat *Roland. d. consil. 57. n. 12.* ubi
ex castrensi refert, Judicem post appellationem non debere ad exe-
cutionem procedere, & si contra faciat, Officiales & posse & de-
bere ei resistere; multò ergò magis alium Judicem hoc facere pos-
se, cujus brachium seculare implorat. Idem docet *Gylman.*
Symphorem. tom. 3. verb. brachium seculare, quod etiamsi Reus
sit excommunicatus, aggravatus, reaggravatus & interdictus, nisi
tamen sententia Ecclesiastica lata transierit in rem judicatam, in-
vocationem brachii secularis inutilem esse. Ut igitur invocatio
hujus brachii locum habeat, oportet sententiam Judicis Ecclesiasti-
ci per appellationem debito modo & tempore interpositam non
esse suspensam. *Ex quo Zes. ad lib. 5. Decretal. tit. 37. n. 12.* infert,
Clericum degradatum appellansem audiendum esse, qui probatà
innocentiâ restituendus est ad pristinum ordinem cum reali & ex-
teriori traditione ornamentorum, vestium & rerum quæ in uno-
quoque ordine tradi solent, & per degradationem erepta sunt.
Notat tamen *Alciat. ad d. l. 1. X. de off. ordin. n. 115.* hanc doctri-
nam non procedere indistinctè, sed tantùm in materiâ, in quâ re-
regularitèr permittitur appellatio; unde ait, si essemus in possesso-
rio, esset secus, quia regularitèr de Jure Civili in eo non appellatur.
per l. un. c. si de mom. possess. quamvis in practica contrarium ad-
mittendum suadeat.

Th. XXVII. Eadem ratione invocationi hujus bra-
chii obstabit nullitas sententiæ. Si enim hæc exceptio
opponatur, statuunt DD. non esse exequendam sen-
tentiam Judicis Ecclesiastici quia quod nullum est, nullam mere-

cur executionem *l. si feriatis ff. de feriis. l. si Prætor. §. Marcellus ff. de judic. Natta consil. 529. n. 7. Gail. sæpè alleg. obs. 115. n. 4. Marant. part. 6. de execut. sentent. n. 3. Gylman. symphorematis. d. tom. 3. verb. brachium seculare.* Addunt tamen DD. restrictionem aliquam, si videlicet nullitas sit notoria. *vid. Roland. d. consil. 37. n. 15.* ubi ex Felino addit, quod Judex coram quo petitur executio sententiæ, si videat eam nullam, possit supersedere & exceptionem nullitatis remittere: Secus tamen esse, si nullitas sit notoria, quia tunc non opus esset remissione, sed executio possit denegari. Ad contraria etiam referri potest sub & obreptio. Quod enim Judex secularis non teneatur, parere sententiæ Judicis Ecclesiastici super absolute à juramento, quando apparet subreptitia. *tradit Cas. ursil. in annot. suis ad Decis. Neapol. Matth. de Afflict. decis. 220. n. 9.* Idem quoque operabitur restitutio in integrum; quod videlicet ea postulata nihil innovari debeat, ita enim cautum est *l. un. c. in integr. rest. post. ne quid nov. & generalitèr t. t. c. ut lit. pend.* Unde etiam executio sententiæ adversus eum, qui restitui desideravit, latæ impeditur. *Asin. in prax. Judic. §. 31. c. 2. limit. 5. pr. & n. 2.* æquiparatur namque restitutio appellationi, cum qua convenit quoad hunc effectum. *Bald. in arth. qua supplicatio. c. de prec. Imp. off. quò facit etiam textus in l. præses. 42. ff. de minor. l. si causa cognita. 32. c. de transact.* Quod si tamen præsumptiones sint per excogitatum malitiam, & animo impediendi effectum sententiæ restitutionem peti, ea non obstabit, quò minus Judex temporalis decretum Ecclesiastici executioni mandet, præstita tamen prius à victore, qui sententiæ pro se impetravit, Cautione, se omnia, quæ vi sententiæ medio tempore perceperit, restitutum, si restitutionem petens in causa prævaluerit. *per cap. suscitata. x. de restit. in integr.*

Th. XXVIII. Satis de contrariis. Illud porrò non possum, quin saltem obiter notem, invocationem brachii esse reciprocam. h. e. sicut Ecclesiasticus Judex implorat auxilium seculare, ita è converso Judex Secularis auxilium Ecclesiæ aliquando in subsidium invocat. *Roland. d. consil. 37. n. 4. Gail. d. obs. 115. n. 2. Matth. stepha-*

Stephani de Jurisd. lib. 3. p. 1. c. 14. n. 136. E. G. Ubi Judex laicus condemnavit aliquam adulteram, quæ debet detrudi in monasterium *secundum auth. sed hodiè. c. de adult.* Cum enim Judex laicus non habeat monasteria, debet implorare officium Episcopi, qui illi concedet. *argum. l. inter penas. ff. de interd. & releg. vid. Alciat. add. c. 1 de off. ordin. n. 25.* Sic & in Camera Imperiali videmus Ecclesiasticos Judices per literas compassus requiri, ut bannitum Ecclesiastica censura constringant, referente *Blarero in l. diffamari cap. 11. n. 21.* hinc duplex esse brachium Canonistæ cum munitè tradunt; Ecclesiasticum & seculare; illud dextrum, hoc sinistrum vocant. *Matth. Steph. de Jurisd. d. c. 14. n. 134.* Volunt tamen Canonistæ hic quandam esse differentiam inter Judicem Ecclesiasticum & Secularem, quod nimirum Judex Ecclesiasticus possit cogere Secularem per censuras, ut sibi præstet auxilium & exequatur sententiam: at Secularis non possit cogere Ecclesiasticum, *Alciat. add. c. 1. de off. ord. n. 26. Johan. Ferrar. Process. Judic. lib. 5. c. 5. ubi ait: hoc etiam in Episcopo obtinet, ut rem à laico judicatam exequi debeat, non quod legibus in hac parte tam sit addictus, sed magis, quò & ipse functioni judiciariæ patrocinium suum adhibeat, proq; communi hominum tranquillitate tuatur.* Sed ab horum sententia recedit, *Matth. Steph. lib. de Jurisd. d. lib. 3. p. 1. c. 14. n. 136.* ubi vult Ecclesiasticum æquè cogi posse, ut ad requisitionem Judicis laici brachium suum concedat, ne Justitia ab una parte claudicare videatur, cui suffragatur *Gail. d. obs. 25. n. 8.*

Th. XXIX. Antequam finem dicendi faciam pauca coronidis loco de mutata vel suspensa potiùs hodiè Jurisdictione Episcopali in terris Statuum Protestantium addere lubet. Traxerat nimirum omne jus circa sacra & causas Ecclesiasticas ad se Papalis arrogantia, Principibus Politicis nullo amplius in iis jure permissio; quod tamen divina autoritate iis concessum ex eo constat, quod Reges nutritii Ecclesiæ appellentur. *Es. 49.* Habent namque Principes & Magistratus hoc jus non ex privilegio Papæ, ut vult *gloss. in cap. in synodo in fin. dist. 63.* Sed jure regio Protestantis à Deo concessa. *Arnif. lib. 1. de jure Maj. c. 6. n. 10.* Cui enim

enim potestas & auctoritas data à Deo, ea quoque data censenda,
sine quibus ad finem à DEO constitutum perveniri com-
modè non possit, *argt. l. 2. de Jurisdic.* sine religione autem,
quæ est tanquam fulcrum & fundamentum Reip. Christianæ, ad
finem à Deo ordinatum perveniri decentè non potest; ideoque
concessa hac à DEO potestate Religionis quoque cura con-
cessa censenda est. Christus & Apostoli Ecclesiam, quatenus in
hac vita militat, Politicæ potestati subjecerunt. *Act. 125. Rom. 13.*
1. Petr. 2. Hoc ipsum Justinanus Imp. noster Sacratissimus plurimis
sacratissimis Constitutionibus testatum reliquit, quarum quædam
de recto in Deum sensu *l. 1. c. de sum. trin.* quædam de Scriptura-
rum lectione & versione *Nov. 133. c. 2. Nov. 146. c. 3.* quædam de
vita & officiiis Clericorum *t. t. c. de Episc. & Cler.* quædam de
diebus feriatis *l. fin. c. de fer.* quædam de aliis ad divinum cultum
pertinentibus articulis extant, quas quidem Constitutiones insignia
illorum temporum lumina Ecclesiæ Cyrillus, Flavianus, Athana-
sius, Ambrosius, Augustinus & alii pro insigni suo zelo minimè
tolerassent, si id contra verbum Dei & Imperatorum officium
fuisset. Zepper, lib. 4. de legib. forensib. cap. 3. n. 1.

Th. XXX. Non est nostri instituti iniquitatè illus ex merito de-
scribere, quâ non solum causæ omnes Spirituales, sed & merè tem-
porales laicorum tempore Friderici II cæperunt ad solius Ecclesia-
stici, adeoque Papalis fori jurisdictionè trahi; quâ de re conquesti
sunt ante hos centum annos & quod excurrit Principes & Ordines
seculares Germaniæ, uti videre est ex centum gravaminibus *grav.*
10. 11. 12. referente Clariss. Viro Dom. Herman. Conring. *in-*
cit. dissert. de judiciis Germaniæ th. 80. Per Transactionem igitur
Passaviensem anno 1552. initam, & in Comitibus Augustanis anno
1555. repetitam ac promulgatam, quin & per nuperâ Pacificationem
Osnabruggensè de anno 1648. artic. 5. §. transactio 1. & §. jus Dice-
cesanum 6. huic iniquitati finis est impositus & omnia jura Episco-
palia ad Principes & alios Status imperii seculares, qui quidem
Pontificiæ Religioni repudium miserunt, sunt translata, suspensâ
interim Ecclesiasticâ Catholicorum Romanorum jurisdictione,
donec

donec per Dei gratiam de Religione ipsa convenerit. Ex quò in
Provinciis Statuum Evangeliorum Principes vigore juris territo-
rialis Kraft habender Landes Fürstlicher Obrigkeit jurisdictionem,
Ecclesiasticam liberè exercent *carpz. de L. Regià Germanor. cap.*
3. sect. 9. n. 1. 2. 3. Reink. de R. S. & Eccles. lib. 3. class. 1. cap. 10. n.
1. & seqq. Andr. Knichen de sublimit. territ. jur. cap. 3. n. 232.
Petr. syring. de pace Relig. conclus. 29. Matth. steph. de jurisd. lib.
3. part. 1. c. 1. n. 14. & seqq. Et sicut ArchiEpiscopi & Episcopi
& multi ex Prælatiis utrumque tribunal Principum benigne
nacti jamdudum exercuerunt; ita etiam multò æquius, ut & secu-
lares Imperii Status ex gravissimis causis utramque Jurisdictionem
decentè & convenientè usurpent, tam in his quæ sunt Ordinis,
quam quæ sunt jurisdictionis Episcopalis ac Legis Diocesanae,
verba sunt Theodori Keinkings. de R. S. & E. d. l. 3. class. 1. cap.
10. n. 3. Seculares itaque Principes & reliqui Status Protestantes
duplicem in suis terris sustinent personam, puta Principis & Epi-
scopi, ideoque duplicem etiam exercent Jurisdictionem: Secula-
rem sive Civilem & Spiritualem sive Ecclesiasticam, ut adeò veris-
simum sit in terris nostris; ejus esse Religionem, cujus est Regio.
Ne tamen duæ illæ separatæ Jurisdictiones confundantur, unaquæ
per alteram impediatur, hinc videmus ab Ordinibus Protestan-
tibus peculiaria fora, quæ vocantur Consistoria constituta esse,
in quibus jura Episcopalia tam quoad Legem Diocesanam & Or-
dinis, quam Jurisdictionis, quoad personas & res seu causas Ec-
clesiasticas expediuntur *vid. Matth. steph. de jurisd. lib. 3. part. 1.*
c. 1. n. 16. & seqq. idem lib. 3. p. 1. cap. 15. per tot. junge ordinat
consistor. Meklenb. cap. 3.

Th. XXXI. Pro executione verò latorum sententia-
rum Judices isti Consistoriales non saltem possunt, sed etiam de-
bent invocare brachium sæculare; qua quidem de re *in dict. or-*
din. consist. Mekl. cap. 4. his verbis dispositum est: Es soll auch
unser Consistorium diejenigen/welche sich ohn ordentlichen Beruff
und Ordnung der administration der heiligen Sacramenten und
des Predigt-Ampts unterfahren/nach Gebühr un Billigkeit zu straf-
fen/


fen/ auch nach Gelegenheit der Sachen die Straff des Gefängniß zu erkennen / und das Urtheil durch das brachium seculare exequiren zulassen/ nicht allein macht/ sondern auch hiemit beschlig haben. In eandem sententiam cap. 9. d. ord. cons. *Mek.* hæc scripta extant; mit der Execution soll es also gehalten werden / wann realiter und auff Güter geklaget / daß alsdann der winnende Theil darinn gesetzt / und vor unrechter Gewalt/ durch das brachium seculare geschützt und gehandhabet werden : Die leiblichen Straffen aber und mulctæ und Einsetzung der Kirchen in die entwandten Güter/ oder Pfandungen der Schuldener und dergleichen/ sollen durch das brachium seculare exequiret und vollgezogen werden ; derhalben das Consistorium die ergangene Urtheil / welche zu exequiren seyn/ an die Obrigkeit des condemnirten Theils/ als an unsere Amptleute / Ruchmeister oder Bürgermeister und Rath in den Städten schicken soll/ mit Erinnerung und Vermahnung / daß in bestimbrer Zeit die execution vollenzogen / und die Parteyen zu der execution citiret werden. Wo aber unsere Amptleute Ruchmeister / Befehlhabere/ Bürgermeister und Rath hierin säumig seyn werden / wollen wir auff des Consistorii Ansuchen darinn gebührenden Ernst gebrauchten.

Supersunt multa, quæ omninò prætereunda non essent, nisi tempus & instituti ratio, hîc cessare juberent. Ego in nomine S. S. Trinitatis, undè inceperam, hîc subsisto, & immortalis DEO immortales ago gratias.

F I N I S.








ULB Halle 3
003 017 125




86

VD77







B.I.G.

Farbkarte #13

LIX FAUSTUM-
ZUBEAT.

1668, 2

CHIO LARI

ANC JURIDICAM
ALEM
fici Jctorum Ordinis
cademiâ Gryphicâ

D E
xcellentissimo Viro

ERESCHIO,
simo, Consistorii Eccl.
e, & Facultatis Juridicæ
o Spectabili,
ine suo omni obser-
colendo,

in Utroque jure
nsignia Doctoralia
endi

suræ submittit
hienen / Rostochiens.
majori horâ 7. matut.

ALDI
niversitatis Typogr. 1668.

8.45

